

tate, & consequenter in minori & minori tempore in infinitum: ad hoc enim sufficit potentia finita superioris ordinis: ad potentiam loco motivam rerum corporearum, & ab omnibus impedimentis expedita. Unde in forma respondendo negando sequelam Majoris, ad cuius probationem, distinguo Antecedens. Potentia quae potest perfectionem & perfectiorem effectum producere, debet esse simpliciter infinita, si perfectior effectus requiritur in tali causa maiorem perfectionem, concedo Antecedens; si non requirit maiorem illam perfectionem; nego Antecedens. Quamvis autem productio intensioris & intensioris visionis beata, requirit maiorem perfectionem intensivam in lumine glorie; movere tamen in majori & majori velocitate, subindeque in minori & minori duratione in infinitum, non est de genere horum effectuum, qui requirunt maiorem & maiorem perfectionem intensivam in potentia; sicut nec infinitas individuum producibilium ab eadem causa: sed solum exigit, ut diximus, remotionem omnium impedimentorum, ac potentiam loco motivam superioris ordinis ad potentiam loco motivam omnium corporum. Unde D. Thomas supra quest. 25. art. 2. ad 3. docet infinitatem divinam potentiae non manifestari in motu; cum tamen constet illam motum velociorem & velociorem in infinitum efficere posse.

71 Dices rursus: Hinc sequi Angelum superiorem non posse velocius moveri quam inferiorem; quia aquae bene potest inferior moveri majori & majori velocitate in infinitum. Sed hoc videtur absurdum; Ergo & illud.

Respondendo concessa Majori, negando Minorem; nam sicut non est inconveniens, quod Angelus superior non sit magis immaterialis quam inferior, quia utriusque convenit immaterialitas simpliciter, ratione elevationis supra gradum corporeum, ita nullum est inconveniens, quod Angelus superior non possit velocius moveri, quam inferior, quia ambo ex elevatione quam in suo motu habent supra corpoream, possunt moveri in majori & majori velocitate: quamvis cum hoc sit, quod Angelus superior habeat nobiliori modo suum illum motum velociorem & velociorem, quam inferior, puta quia potest moveri minus multiplicando operationes circa spatium, propter maiorem sphaeram activitatis: sicut in corporibus equus habet nobiliori modo cursum aequalis velocitatis, quam canis: quia ratione majorem extensionis paucioribus gressibus aequale spatium percurret aequali tempore.

Adde quod licet Angelus superior non possit velocius & in minori duratione moveri, quam inferior, potest tamen velocius movere corpora: virtus enim quam habet Angelus ad efficiendum motum velociorem & velociorem in infinitum, tantum se extendit ad motum ipsius, non autem ad motum corporum, quae cum ex se non sint tanta velocitatis capacia, etiam si ad propria loca moveantur, aliquo modo moventi extrinseco resistunt: unde Angelus qui movet caelum superius, majorem est virtutis & perfectionis eo qui movet caelum inferius: cum caelum superius majore velocitate ab intelligentia moveatur, quam inferius.

72 Ex his colliges, miram & proflus stupendam esse Angelorum celeritatem, illaque omnium corporum velocitatem incomparabiliter excedere: potest enim Angelus motu continuo, intra brevem temporis morulam, longum spatium peragere: & motu discreto, in duobus instantibus, ab uno loco in alium, quantumcumque distantem, se transferre, non transiendo per medium, ut supra ostensum est: Quae ratione SS. Patres hanc Angelorum celeritatem ita exaggerant, ut dicant esse ubique, & in momento totum orbem peragere. Ita Tertullianus in Apolog. cap. 22. *Omnis spiritalis, inquit, aëris est, hoc est Angelus & demones: igitur momento ubique sunt: totus orbis illis locus usque est, qui ubique quod geratur tam facile sciunt, quam enuntiant: velocitas illorum creditur, quia substantia ignoratur.* Hieron. vero Epist. 25. contra Vigilantium cap. 2. *demones, inquit, toto orbe vagantur, & celeritate nimia ubique praesentes sunt: Item Nazianzenus orat. 34. de celestibus virtutibus ait: *Lea omnia peragrans, comibus impigre adsunt, cum de ministris prospicitur, cum de natura levitatem.* Denique Dionysius in caelesti Hierarchia cap. ultimo. *Demones, inquit, Sanctorum Angelorum pedes Theologiae fluxit: penna enim declarat sursum ducere valentem celeritatem.* Ob eandem rationem ibidem docet eos in scriptura appellari ventos, flammam ignis, nubes, aquas, rotas igneas, flumina, equos &c. quia haec omnia summam velocitatem inveniunt. Interdum etiam in Scriptura ad eandem velocitatem declarandam Angeli dicuntur in momento operari: Sapientiae ubi habetur quod uno temporis momento Angelus Aegyptiorum primogenita interfecit. Et Cyrillus Alexandrinus in commentariis in Habacuc docet illum Angelum manibus in puncto temporis in ioveam leonem ubi erat Daniel delatum fuisse, ut ei prandium afferret: quod facer textus innuere videtur, dum ait: *Apprehendit enim Angelus Dominum in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui posuitque eum in Babylone super leonem in impera spiritalis.* Verum licet Angelus potuit subito & quasi in istu oculi transferre Habacuc ex Judaea in Ba-*

bylonem, & eadem celeritate reducere, id tamen in instanti non potuit operari: quia ut praclare Tertullianus cap. 2. Exodi in hanc rem philolophatur: *Quantumvis subitanea sit Angeli operatio, oportet tamen dari aliquod tempus in quo fiat, quantumcumque parvum sit. Sicut enim Deus non potest communicare Angelo quod potest creare, quia repugnat creaturae, & quia creare est potentis infinitus, qui soli Deo convenit: ita operari sine tempore, non potest communicari creaturae, quia arguit potentiam infinitam, qua nullo modo communicabilis est.*

73 Dices: Illuminatio fit in instanti & si corpus moveretur per vacuum, ejus motus etiam in instanti fieret; quia tunc nulla esset resistencia media, a qua successio motus localis oritur: Ergo similiter motus localis Angeli in instanti fieri potest.

Respondendo concessa Antecedente, quantum ad primam partem, negando Consequentiam & pariter: nam in motu locali Angeli idem Angelus transit per medium ad extremum, & ibi nullus est ordo casualitatis: At in illuminatione non eadem pars luminis quae est in medio, transit ad extremum, sed in hoc alia producitur, quae a priori una causa vel conditio dependet; & sic ibi est ordo casualitatis, qui non requirit successione & tempus, sed dumtaxat prioritatem naturae. Praeterea ut docet D. Thomas hic art. 3. in corp. & in resp. ad 2. illuminationem, cum non fit transitus ab uno termino positivo ad alium, non est proprie motus, sed simplex tantum mutatio quae est terminus motus; sicque simul & in instanti terminativus motus fieri potest: motus autem Angeli cum sit transitus de uno termino positivo ad alium, est vere & proprie motus, & non solum simplex mutatio, subindeque non simul & in instanti, sed successively & in tempore fieri debet.

Ad illud vero quod additur de motu corporis in vacuo, dicendum est, quod si corpus moveretur in vacuo, ejus motus non fieret in instanti, sed successively, ut docent Philosophi in libris Physicorum, quia successio motus localis provenit non solum ex resistencia media, sed etiam ex limitatione virtutis motiva, ex contraria inclinatione mobilis, & ex distantia terminorum.

74 Obicitur tertio: Motus localis Angeli nihil aliud est, quam acquisitio loci: Sed Angelus acquirit locum in instanti: Ergo movetur localiter in instanti.

Respondendo motum localem Angeli non consistere in simplici acquisitione loci, quia si nullibi alia existens, applicaretur loco, non diceretur moveri localiter, sed consistere in acquisitione unius loci & derelictione alterius: unde quamvis Angelus acquirat locum in instanti, quia tamen non relinquat alium locum in eodem instanti, sed in instanti praecedenti, inde fit ut nequeat moveri, etiam motu discreto, in unico instanti, sed ad minus duo requiratur instantia.

75 Instabis: Angelus in eodem instanti acquirit unum locum, & deserit alium: Ergo nulla solutio. Antecedens probatur: Quando aliquid in eodem instanti acquiritur, aliquid oppositum & incompossibile derelinquitur in eodem instanti: v.g. in eodem instanti quo forma est in materia, tollitur ejus privatio, & in eodem momento quo aer illuminatur, tenebrae expelluntur: Ergo si terminus ad quem motus discreti Angeli in instanti acquiratur, in eodem instanti deserit terminus a quo.

76 Respondendo negando Antecedens, ad cuius probationem, distinguo Antecedens. Quando aliquid acquiratur in instanti &c. per simplicem mutationem quae est a termino a quo privatio aut negativo, concedo Antecedens. Quando acquiratur per motum proprium, nego Antecedens. Nam ut supra diximus, ad tollendam negationem aut privationem sufficit positio formae; ad tollendum vero contrarium, aut vincendam latitudinem & distantiam quae est inter duos terminos positivos, requiritur tempus. Unde quia generatio & illuminatio sunt simplices mutationes, eodem momento quo forma est in materia, tollitur ejus privatio, & eodem instanti quo aer illuminatur, tenebrae expelluntur; e contra vero cum motus localis Angeli, sive continuus, sive discretus, sit motus proprius, procedens a termino & loco positivo, ad alium terminum & locum positivum; & non simplex mutatio; repugnat quod in eodem instanti quo acquiratur terminus ad quem, deserat terminus a quo, vel e contra; sed ad hoc requiruntur ad minus duo instantia, non quidem temporis nostri, quae non possunt sibi immediate succedere, sed temporis Angelici & discreti: quorum priori mensuranti existentiam Angeli in termino a quo, correspondet pars nostri temporis; posteriori vero, quod mensurat acquisitionem termini ad quem, correspondet instans.

77 Ex hoc solatum manet aliud fundamentum adversae sententiae, quod sic proponi potest. Angelus non movetur localiter, dum est in termino a quo, cum non mutet locum, quamdiu in illo existit: Ergo solum quando est in termino ad quem: Sed est in termino ad quem in instanti temporis discreti: Ergo movetur in instanti. Solutum, inquam, manet illud argumentum: oportet enim distinguere Antecedens: Angelus non movetur localiter &c.

ARTICULUS UNICUS.

Qua sit mensura esse Angeli, & operationum ejus?

Dico primo, esse Angeli, mensurari aëvo. Ita D. Thomas supra q. 19. art. 5. & quodlib. 5. art. 7. Probatur: Esse Angeli non potest mensurari tempore, nec aeternitate: Ergo aëvo est propria ejus mensura. Consequenter patet: quia tres tantum dantur mensurae durationis rerum, scilicet aeternitas, aëvo & tempus. Antecedens vero, quoad primam partem, est etiam manifestum: Nam tempus est solum mensura rerum successivarum & corruptibilium: esse autem Angeli est totum simul, & incorruptibile, supposito influxu divino quem connaturaliter postulat, ut disp. 1. art. 4. ostensum est: quoad secundam vero partem convincitur ex ipsa aeternitatis natura, quae definitur duratio rei omnino immutabilis, qualis profecto non est substantia Angeli, quippe quae (ut ibidem monstravimus) pluribus mutationibus obnoxia est.

Confirmatur: Nam ut docet D. Thom. loc. cit. aeternitas mensurat durationem rei omnino invariabilis, & secundum substantiam & secundum operationem: tempus mensurat durationem rei variabilis in esse & in operatione, nam mensurat res corruptibiles, quae sunt in perpetuo fluxu & corruptione: unde D. Basilus homil. 1. in Exameron ait: *Qua sunt orta, quia aut incrementa aut decrementa suscipiunt, fractionem autem stabilitatemque nullam aut perpetuam obtinent, a temporis ipsius constanti natura: aëvo denique medio modo se habet, nam mensurat esse invariabile, & tamen admittit variationem secundum operationes. Sublimo autem: Sed Angelus, licet sit immutabilis secundum esse substantiale, comparatur secum mutabilitatem, quantum ad aliquas operationes; quia Angeli mutabiles sunt & secundum locum, & secundum diversas cogitationes & affectiones, quas possunt exercere vel non exercere quando voluerint: Ergo esse Angeli aëvo mensuratur.*

78 Confirmatur amplius: Esse Angeli est inferioris ordinis ad esse divinum, & superioris ad esse rerum corruptibilium: Ergo debet mensurari aliqua mensura, quae sit inferior aeternitati, & superior tempori, cum inter mensuram & mensuratum debeat esse proportio: Sed haec mensura nulla alia esse potest quam aëvo, quod, ut ait D. Thom. ubi supra, medium est inter aeternitatem & tempus: Ergo idem quod prius.

79 Obicies: Duratio Angeli, cum sit indivisibilis & tota simul, continet omnes temporis differentias, & coexistit praesenti, praeterito, & futuro: Sed omnibus temporis differentis coexistere proprium est aeternitatis: Ergo duratio Angeli non est aëvo, sed aeternitas.

Respondendo quod licet in Angeli duratione non sit aliqua successio, sed suam durationem totam simul habere, in ea tamen actu continentur omnes differentiae temporis: quia ut aliqua duratio possit simul continere praesens, praeteritum, & futurum, non sufficit quod sit indivisibilis & tota simul, sed insuper requiritur quod intra lineam durationis sit infinita: unde cum aeternitas utroque hoc privilegio gaudeat, & sit duratio infinita simul & indivisibilis, utpote mensura esse divini, quod est infinitum & simplicissimum, in unico nunc indivisibili omnes temporis differentias continet, & ut ait D. Bernardus serm. 80. in Cantica: *Tempora sub ea transiens, non est: futura non expectat; praeterita non recogitat, praesentia non experitur.* Aëvo vero, quamvis sit indivisibile & totum simul, cum tamen sit finitum, utpote mensura esse Angeli, quod finitum & limitatum est, non coexistit rebus temporalibus, nisi quando actu sunt, & earum transitum & adventum expectare debet, ut ea continere & mensurare possit. Unde aëvo assimilatur baculo fixo in medio fluminis, vel arbori ad ripam plantatae, quae non coexistit simul & semel toti aquae fluenti, sed paulatim & successively, non quidem per sui mutationem & successionem, sed per mutationem & fluxum ipsius aquae, quae continuo fluit ac decurrit. Aeternitas vero ratione sui vastissimi finis, recte comparatur ripae aut alvo, qui totam aquam fluminis semper continet, nec ejus fluxum & transitum expectat, ut illum mensuret: nam ut ait D. Thom. sup. q. 14. art. 13. *Aeternitas tota simul existens, ambis totum tempus.* De quo plura diximus in Tractatu de scientia Dei disp. 4. art. 7. agendo de praesentia rerum in aeternitate.

80 Dico secundo, operationes Angelorum diversas habere mensuras, & aliquas mensurari aeternitate participata, alias aëvo, alias tempore discreto, & alias tempore continuo.

Explicatur & probatur conclusio. Diversae sunt in Angelis operationes: prima & omnium nobilissima est ipsa visio Dei beatifica: secunda est cognitio naturalis quae se cognoscunt, & amor quibus cognoscunt & amant alias res extrase: quarta est actio transiens, quae vel Dei iustitiam, vel proprio nutu movent aliqua corpora, vel aliquem effectum ad extra producant. Prima operatio mensuratur aeternitate partici-

complete & terminative, concedo Antecedens: non movetur incomplete & initiative, nego Antecedens. Habet enim Angelus tunc nam sui motus partem iniciativam, & dispositivam ad aliam; ad quod non requiritur quod in eo instanti mutet locum, sed sufficit quod ei competat existentia in termino a quo, cum ordine ad praesentiam in termino ad quem immediate acquirendam: sicut oratio, quae est quantitas discreta, dicitur incipere in prolatione primae syllabae, ut dicitur ordinem ad aliam, immediate sequentem.

78 Queres ad complementum praedictorum, per quod Angelus seipsum & alia corpora moveant, seu quodnam sit in illis principium proximae effectivum, motus localis, & aliarum operationum ad extra?

Respondendo multo probabilius esse, & doctrinae D. Thomae conformius, potentiam loco motivam & ad extra operativam in Angelis non distingui ab intellectu & voluntate, sed esse ipsam intellectum practicum, quatenus per actum imperii, formaliter immanentem, & virtualiter transentem ad extra operatur. Ita colligitur ex Aristotele 12. Metaph. textu 40. ubi ait intelligentias movere caelos, ut desiderantes & intelligentes, & ex D. Thoma q. 16. de malo art. 1. ad 14. quodlib. 6. art. 2. & opusc. 11. art. 3. dicente Angelos movere caelos, *conceptione sui intellectus efficiat.* Ratio etiam illi fadet; Cum enim Angelus sit substantia simplex & pure intellectualis, non possunt in illo dari nisi potentiae quae a gradu intellectuali dimanant, & quae proinde pure spirituales sunt: illa autem sunt tantum duae, intellectus scilicet & voluntas: Ergo quidquid Angelus ad intra vel ad extra operatur, id mediantibus illis duabus potentis praestare debet, subindeque vis illius exequens, seu potentia tum se ipsum tum alia movendi, est ipsa voluntas ut movens intellectum, vel potius intellectus ut motus a voluntate, & efficaciter imperans motum localem in corporibus. Quare motus localis casualis in corpore ab aliquo Angelo, non proprie comparatur ad intellectum & voluntatem Angeli, sicut actus elicitus, sed potius sicut effectus ab illis potentis, mediantibus propriis actibus productus.

79 Dices: Si potentia operativa ad extra, sive loco motiva, esset in Angelo realiter indistincta ab intellectu & voluntate, quidquid Angelus vellet & intelligere, posset & facere, sicque esset omnipotens, cum nihil sit quod non possit velle & intelligere.

Respondendo negando sequelam. Sicut enim non valet intellectus practicus & speculativus idem realiter sunt: Ergo quidquid volumus speculative, possumus & practice cognoscere. Sicut, inquam, non valet haec consequentia, nam solo naturali lumine speculative cognoscimus Deum esse summum bonum, ac propterea summo modo diligendum, & tamen solis viribus naturae non possumus id practice iudicare: ita similiter quamvis in Angelo principium intelligendi & operandi ad extra, realiter non differant, non sequitur tamen, quod quidquid Angelus potest intelligere, possit & operari, sed intellectus ut practicus, seu ut potentia operativa, habet limitatam activitatis sphaeram, quam non habet ut est speculativus, & principium cognoscendi & intelligendi.

80 Dices rursus: Modus agendi dumtaxat per imperium, non est conveniens illi creature, sed soli Deo possibilis, cujus voluntati omnia subiecta sunt.

Respondendo, modum agendi dumtaxat per imperium, non esse convenientem illi creature pure corporeae, vel mixtae, seu constanti ex spiritu & corpore, bene tamen substantiae simplici & pure intellectuali: cum enim in ista non possint dari nisi potentiae pure spirituales, quae sunt tantum duae, intellectus scilicet & voluntas; quidquid agit vel ad intra vel ad extra, hoc totum mediantibus illis potentis, subindeque per actum imperii, elicuit ab intellectu, ut motu & applicato a voluntate, operari debet, ut supra diximus. In hoc tamen differat imperium Angeli ab imperio Dei, quod primum est limitata & finita virtutis, habetque determinatam suae activitatis sphaeram: Divinum vero est innatae virtutis & efficaciae, & se extendit non solum ad ea quae sunt, sed etiam ad ea quae non sunt, ut ait Apostolus ad Romanos 4.

DISPUTATIO VI.

De aëvo & tempore Angelorum.

Explicato motu Angelorum, consequens est, ut mensuram existentiae & operationum ejus exponamus. Unde sit

icipata, ut in Tractatu de visione Dei disp. 6. art. unico, ostendimus. Secunda mensuratur ævo, quia licet in se sit indefectibilis & incorruptibilis, comparatur tamen aliquam mutabilitatem ex parte subiecti in quo est, & aliarum operationum que illi adjunctæ sunt. Tertii generis operationes, nec æternitate participata, nec ævo mensurari possunt, sed tempore continuo, si sint continuæ; discretè vero, si discretæ. Dicitur autem tempus discretum, ex eo quod sicut ex multis unitatibus constat numerus, qui est quantitas discreta; ita ex multis actionibus Angelorum sibi succedentibus, vel potius ex durationibus illarum, confurgit mensura quedam durationis illarum actionum, quam Theologi vocant *tempus discretum*; tempus quidem, quia est duratio habens prius & posterius, quod propriam est temporis: discretum vero, quia illæ actiones ex quibus confurgit, succedunt sibi, non continue, sed discrete, sicut in numero unitates. Ratio vero constituendi hanc mensuram, hæc fuit: quia illæ actiones cum sint defectibiles & mutabiles, nec æternitate, nec ævo mensurari possunt; nec tempore continuo nostro vel angelico; cum sint discretæ, & sibi continuo non succedant: Ergo debent mensurari tempore angelo discreto, si sint inter se incompossibiles: quod addo, quia ut ex illis operationibus diversa instantia fiant, debent esse tales ut simul esse non possint; si enim simul esse possint, eodem instanti mensurari possunt, subindeque non habent vim sufficientem ad constituendam successione que in tempore requiritur. Quæd autem datur in Angelis operationes que sint simul incompossibiles, patet; quia Angelus non possunt simul & inchoari omnia intelligere & consequenter debent aliqua objecta post alia cognoscere; secundum quod ordo objectorum exoptat.

6. Quantum ad operationes Angeli virtualiter transeuntes, advertendum est illas dupliciter posse considerari, primo active, & ex parte Angeli, seu ut sunt in Angelo: secundo passive, & quantum ad eorum effectus. Primo modo mensurantur tempore discreto, si sint discretæ, vel continuo, si sint continuæ, quia sub hac ratione sunt spirituales, & a tempore nostro independentes: altero vero modo mensurantur tempore nostro, quia secundum effectus quos ad extra ponunt, corporeæ sunt, & tempori nostro subdantur. Ita colligitur ex D. Thoma hic art. 3. ubi loquens de tempore mensurante motum Angeli, ait: *Istud tempus sine se tempus continuum, sine non, non est idem cum tempore quod mensurat motum cali, & quo mensurantur omnia corporalia que habent mutabilitatem ex motu cali: motus enim Angeli non dependet ex motu cali. Et in 1. dist. 37. q. 4. art. 3. Nullus motus (inquit) mensuratur per motum cali, nisi qui est ordinatus ad ipsum: unde etiam probant Philosophi, quod si essent plures mundi, operaretur esse plures motus & plura tempora. Unde cum motus Angeli nullum ordinem habeat ad motum cali, & præcipue si motus eius dicatur processu operationum, ut dictum est, oportet quod non mensuret tempore, quod est mensura primi mobilis, sed alio tempore, cuius tempore naturam ex natura motus accipere oportet.*

7. Dices: Actiones intellectus nostri mensurantur tempore primi mobilis, licet sint spirituales: Ergo etiam actiones Angelorum, licet spirituales, eodem tempore mensurari possunt.

Respondeo negando consequentiam: quia anima existens in corpore, pendet ab eo tam in modo essendi, quam in modo operandi, & sic non mirum, quod quantum est in corpore quod amissibiliter informat, tempore illo mensuret: Angelus autem est omnino a rebus corporeis independentes consequenter tempore nostro mensurari non potest, sed illud necessarium exigit superioris ordinis & rationis; & secundum se continuas operationes tempore continuo spirituale, secundum discretas vero, spirituale discretum exoptat.

Quæres primo, an ævum sit unum tantum vel multiplex?

8. Respondeo ævum posse dupliciter sumi: Primo large & improprie, pro qualibet duratione rei incorruptibilis, & sic manifestum est illud non posse poni unum tantum pro omnibus Angelis & rebus incorruptibilibus, cum illorum durationes multæ sint, & tot quot sint eorum existentia: sicut si tempus accipitur solum pro duratione cuiuscunque motus, non potest esse unum tantum, sed tot dantur tempora, quot sunt motus durantes: qua ratione dixit Augustinus. 11. confess. cap. 33. *An si cessarent cali lumina, & moveretur rota signi, non esset tempus quo mensuratur eos giro? Et rursus, Cuiusdam vero cum sol staret, ut videtur, sine prelium perageret, sol stabat, sed tempus ibat, Secundo ævum potest sumi stricte, pro duratione maxime regulari & uniformi, durationem cuiuscunque substantiæ incorruptibilis mensurante; & sic unicum datur ævum, ut docet D. Thomas supra quest. 10. art. 6. Quis (inquit) cum unum quodque mensuratur simplicissimo sui generis, ut dicitur 10. metaph. oportet quod esse omnium ævorum mensuratur esse primi ævorum; quod tanto simplicius est, quanto prius. Sicut etiam videmus in tempore, quod in ratione men-*

sura unicum est, duratio scilicet motus diurni primi mobilis: qui cum sit omnium simplicissimus & uniformissimus, ad ipsum durationis uniformitatem, reliquas durationes motuum reducamus.

Quodnam autem sit supremum ævorum, in quo 9. tamquam in proprio subiecto ævum in ratione mensuratur residet? disputant Theologi. Quidam sentiunt illud in Luciferò residere, quia ille est supremus omnium Angelorum, nec naturalem uniformitatem in durando & operando ex peccato suo amisit, cum naturalia omnia manserint integra in demonibus. Ita Bannes & Zumel supra q. 10. art. 6. Alii existimant ævum simpliciter & omnibus consideratis esse in anima Christi, quia ex unione ad Verbum maiorem participat immutabilitatem & manendi uniformitatem, quam Angeli, & licet sit illis inferior in natura, est tamen superior in gratia, qua reddidit naturam magis elevatam uniformem, ac propinquior em æternitati. Ita Nazarius supra art. 6. eisdem questionibus citata controv. 1. Pro qua etiam sententia citantur aliqui Thomistæ, suppresso nomine, a Pererio lib. 12. de principiis rerum naturalium cap. 14.

Cæterum neutra sententia conformis est D. Thoma. 10. Non prima, nam S. Doctor in 2. dist. 21. q. 1. art. 2. ad 5. & opus 36. cap. 5. & quodlib. 5. art. 7. expresse negat ævum subiective esse in Luciferò, quia ævum consideratum in ratione mensuræ, non respicit esse simpliciter & absolute, sed esse secundum quod habet minus de mutabilitate accidentaliter adjunctum: Unde quia Lucifer, ab uno summo bono recedens, variis se immerit rerum quarum primatum ambivit affectionibus, aliique inordinatis, ac depravatis mutationibus, in cuius signum dicitur illi Ezechiel. 28. *In multitudine negotiationis tue repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: ideo operando amisit rationem mensuræ respectu aliorum ævorum.* Unde ait D. Thomas opusculo citato: *Supposito quod Lucifer fuisset maximus Angelorum, si fuisset, in eo foret ævum ut in subiecto: sed quia eius natura non est perfecta perfectione gloria æterna, non est in eo aliquid quod sit illis mensura, sed in eo magis inter omnes est gloriæ participatio.*

Neque obstat quod in speculabilibus Lucifer manserit 11. æque perfectus sicut antea: sufficit enim quod in practico ita sit mutatus, quod maiorem mutabilitatem & difformitatem in operando incurrit. Præterquam quod valde credibile est, quod ad verens se ex inclinatione & ordinatione naturali inclinari ad intelligendum sine divisione specierum suarum, dividit illas ex odio in Deum, & sepius cum illa decisione cognoscit, quam aberret ab eo, quod est secundum modum conaturalis & proportionatum sua nature, ut ita verificetur quod in inferno: nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ut dicitur Job cap. 10.

Alia sententia, licet pia ac probabilis videatur, est etiam a mente D. Thom. & a veritate aliena: tum quia idem S. Doct. locis citatis docet ævum residere in supremo bonorum Angelorum: tum etiam quia licet anima Christi excedat in donis supernaturalibus omnes Angelos, in naturalibus tamen minoratur est paulo minus ab Angelis, ut dicitur Phil. 8. & ad Hebræos 1. ævum autem est mensura naturalis ordinis, & daretur in Angelis, si essent in puris naturalibus.

Addo quod operationes Christi, extra visionem Beati 13. ficam, etiam si supernaturales sint, in modo tamen operandi, qui conformatur modo naturali, minus universaliter modo procedunt, quam operationes Angeli; sicut de speciebus scientiæ infusæ anime Christi docet S. Thom. 3. p. quest. 11. art. 6. & sic minus redigantur ad unitatem & uniformitatem, quam species Angelorum: illud autem habet rationem mensuræ, quod simpliciter & uniformius est: Ergo ævum in ratione mensuræ non est subiective in anima Christi. Multo minus est in anima Beatissime Virginis, ut quidam volunt: quia licet illa in beatitudine & donis supernaturalibus omnes Angelos excedat, est tamen in natura illis inferior; uniformitas autem manendi & operandi in ævum, præcipue attenditur ex natura ipsius substantiæ spiritualis, ut pertinet ad ordinem naturalem, licet illa possit augmentum ex gratia & gloria recipere: unde S. Thomas opusculo citato ait: *Ille qui perfectiorem naturam habet in gloria, habet in se unde alii mensuratur.*

Dicendum igitur est cum eodem S. Doctore locis citatis, & cum pluribus ejus Discipulis, Luciferò peccante, durationem Angeli superni qui remansit in gratia, rationem mensuræ accipisse respectu durationum aliorum Angelorum: quia illa retinet maiorem uniformitatem naturalem in suis operationibus, quæ ex adhesionem ad Deum, & unione ad summum Bonum, per gratiam & gloriam, perfectam & consummatam fuit. Sicut enim si daretur quod angeli motus primi mobilis deficeret ab illa uniformitate & regularitate quam habet, statim ejus duratio rationem mensuræ respectu motuum inferiorum amitteret, & illa ratio mensuræ remaneret aut resisteret in corpore celesti quod magis uniformiter & regulariter moveretur: ita patitur statim atque Lucifer, per peccatum ab uno summo

bono

bono recedens deficit a regularitate & uniformitate quam habebat in operando, amisit rationem mensuræ respectu aliorum Angelorum; & supremus inter bonos Angelos, qui immobilis permansit in regularitate & uniformitate quam habebat in operando, rationem illam mensuræ acquisivit. Nec est inconveniens, quod ævum possit mutare subiectum materialiter loquendo: nam formaliter non mutatur, cum subiectum ævi formaliter, sit illa substantia immutabilis, quæ minor immutabilitatem in operando conjuncta est, seu quæ est radix operationum magis regularium & uniformium, ubiqueque alias hoc invenitur. Sicut locus formaliter sumptus, & centro mundi, quæcumque alias illa sit materialiter & in individuo. Et sic si ille qui est supremus Angelus, & minori mutabilitate obnoxius, redderetur mutabilior quam ille qui est inferior, amitteret ejus duratio rationem ævi seu mensuræ, quæ petit maiorem uniformitatem; & duratio inferioris Angeli qui maneret uniformior, diceretur ævum, seu mensura durationis aliorum Angelorum.

14. Dices: Ad hoc ut aliqua duratio possit dici mensura respectu aliarum, oportet quod sit notior illis; ad hoc enim mensura ordinatur; ut per eas nobis notificetur quantitas mensurati. Sed duratio Angeli superni, non est quid notius, quam sint durationes ceterorum Angelorum: Ergo non obtinet rationem mensuræ. Minor probatur: Quia quilibet Angelus inferior longe clarius cognoscit propriam & intrinsicam durationem, & ea omnia quæ sunt intra se, quam durationem & alia que sunt in Angelo superiori: Ergo duratio Angeli superni, non est quid notius, quam durationes ceterorum Angelorum.

15. Respondeo, ad rationem mensuræ non semper requiritur quod sit notior quod nos, & ex parte cognoscentis, sed sufficere quod sit notior quoad se, & ex parte rei cognite: causa enim est mensura perfectionis effectus, quia licet effectus sint magis & prius nobis noti quam cause, via originis & imperfectionis, tamen cause sunt magis notæ quoad se, & via perfectionis & resolutionis: unde ut perfecte & scientie effectus cognoscamus, deducimus eos in principia & causas, & eorum perfectionem, ex perfectione & nobilitate cause venamus, ac metimur. Quare licet Angelus inferior conaturalis, & cogitatione magis sit proportionatus, magisque adequante modum cognoscibilitatis objecti, propriam & intrinsicam durationem, & ea omnia que sunt intra se cognoscatur, qui tamen cognoscendo Angelum superiorum, videt ejus durationem longe perfectiorem & regularem esse ea que sibi fuisse operationibus naturalibus convenit, istam in durationem Angeli superni, operationumque ejus, tamquam ad regulam ac mensuram reducit, & uniformitatem suæ durationis, per uniformitatem durationis Angeli superioris cognoscit.

16. Quæres secundo, an sit unum numero tempus Angelorum, quod sit mensura actuum liberorum, sicut est unum eorum ævum, quod illorum operationes naturales & necessarias mensurantur? Ratio dubitandi est, quia actiones libera Angeli superni non videntur habere uniformitatem requisitam ad rationem mensuræ, cum ipse possit habere plures vel pauciores operationes libera, vel eam omnem actum liberum suspendere, subindeque videtur in eo non dari unum numero tempus continuum, vel discretum, quo mensurentur actus liberi aliorum Angelorum.

Deinde, Actiones libera Angeli superioris, non sunt cognita ab inferiori, sed ei occultæ: Ergo non habent rationem mensuræ, quæ debet esse notior mensurato.

Præterea, Angelus inferior in suis actionibus liberis, nullo modo subicitur superiori: Ergo quod istas operationes, nullo modo mensurantur ab illo. Denique contingere potest, quod dum Angelus inferior libere operatur, superior nullum actum liberum eliciat: Ergo non poterit tunc actio libera Angeli inferioris regulari & mensurari per tempus & durationem operationis libera Angeli superioris.

Propter hæc argumenta plures ex nostris Thomistis negant dari unum tempus in supremo Angelo, quo actiones libera Angelorum inferiorum mensurentur, sicut datur unum ævum, quod naturales ac necessarias metitur illorum operationes, nempe cognitionem naturalem quæ se cognoscit, & amorem quæ se naturaliter diligit.

17. Nihilominus Cajetani sententia, quæ unum numero tempus in supremo Angelo magis ordinate & regulariter operante agnoscit, videtur probabilior, ac principiis supra statuta conformior. Ratio autem hujus est, quia illa que sunt multiplicata & dispersa, debent mensurari & regulari per illud in quo sunt magis unita; per ea enim quæ ad maiorem unitatem accedunt, cetera mensuramus & regulamus, ut docet Aristoteles 4. Physic. cap. 14. Sed multæ operationes Angelorum inferiorum, reperiuntur in unica superni Angeli operatione unita: cum hic intelligat per species universales, pluraque objecta representante, quam Angelus inferior, ita ut si quatuor aut quin-

Theol. Genes, Top. II.

que operationes requirantur in Angelo inferiori ad aliqua objecta cognoscenda, quæ aliquando vel etiam una in Angelo superiori ad eorumdem cognitionem sufficiant; quia aliquando una species representat intellectui Angeli superioris illa omnia que per quatuor vel quinque species intellectui Angeli inferioris representantur: Ergo Angelus supremus est in operando mensura & regula inferiorum; & per consequens duratio etiam operationum ipsius, est mensura & regula durationis operationum Angeli inferioris. Sicut enim per unam speciem, & unicam intellectionem, Angelus superior cognoscit ea quæ per plures species & intellectiones ab inferiori cognoscuntur, ita unico instanti intellectione perstruit illa in quorum cognitione plura instantia Angelus inferior confuit.

Ex quo patet responso ad primum fundamentum ad 18. verba sententiæ: licet enim Angelus superior possit habere modo plures, modo pauciores actiones libera; quia tamen per species magis universales intelligit quam Angelus inferiores, & plures rationes percipit in quolibet objecto, minus multiplicat suas operationes quam Angelus inferiores: ubi autem est minor multiplicitas, est major simplicitas ac uniformitas; quia diversitas & confusio nascitur ex multitudine minus ordinata: unde in actibus liberis Angeli superni, reperitur uniformitas sufficiens ad rationem mensuræ.

Ad secundum respondetur, quod licet operationes libera Angeli superioris ex se & ex natura sua sint occultæ, sunt tamen manifestabiles, & de facto plures manifestantur Angelis inferioribus, per illuminationes, locutiones, aliaque actiones hierarchicas; quod sufficit ut modus procedendi Angeli superioris in suis operationibus liberis possit ab inferiori cognosci, eique pro regula & mensura suorum actuum liberorum deservire. Ex quo habet solutionem ad tertium: licet enim Angelus inferior in suis operationibus liberis non subdatur superiori Angelo effective, ei tamen subditur exemplariter, quatenus ad ejus modum operandi simpliciter & magis uniformem debet se conformare; sicut etiam esse unius non dependet ab alio effective, & tamen, ut supra vidimus, mensuratur per ævum & durationem alterius: ad rationem enim mensuræ, ut talis est, non requiritur necessarium quod sit causa effectiva respectu mensurati, sed sufficit quod sit causa exemplaris illius.

Ad ultimum dicendum est, quod si contingat Angelum supremum nullum elicere actum liberum, dum inferior libere operatur, tunc operatio libera Angeli inferioris mensurabitur vel tempore particulari & intrinseco, non vero tempore communi & extrinseco, in solo supremo Angelo existente, sicut cum tempore Johæ Sol, ac per consequens primum mobile, in quo est tempus, stetit, motus corporum inferiorum, tempore solum particulari & intrinseco, non autem communi & extrinseco mensurabantur: Vel tunc operatio libera alterius Angeli superioris, poterit habere rationem regulæ & mensuræ respectu actus liberi elicti ab inferiori: sicut supra dicebamus, quod si motus primi mobilis cessaret, vel ab ea quam habet regularitate & uniformitate deficeret, tunc ratio mensuræ respectu motuum inferiorum, in alio corpore celesti resisteret, quod magis uniformiter & regulariter moveretur: *Accidit enim temporis quod sit numerus motus Firmamenti* (inquit D. Thom. infra quest. 66. art. 4. ad 3.) *in quantum hic motus est primus motuum: si autem esset alius motus primus, illius motus mensura esset tempus, quia omnia mensurantur primo sui generis. Propter hoc fortasse Aristoteles definit tempus, solum ait illud esse numerum motus primi mobilis: quia accidentale est temporis, quod per motum primi mobilis, vel alterius corporis celestis, mensuretur.*

DISPUTATIO VII.

De Quidditate cognitionis Angelicæ.

Ad quest. 54. D. Thomæ.

Explicitis his que ad substantiam Angeli pertinent, consideratam tam in ordine ad se, quam per respectum ad alia, exponenda nobis sunt cum D. Thoma ea que spectant ad ejus cognitionem; que sunt præcipue quatuor, nempe quidditas ejusmodi cognitionis: medium ipsius, scilicet species intelligibilis; res seu objecta que ab ea attinguntur; & modus quo illa fit. De quibus dicit S. Doctor a q. 54. usque ad 59. De primo agemus in hac disputatione; de aliis vero in sequentibus.